

runt, non reviviscat, quæ cæteroquin in jus non potuit transire nisi assensu Ecclesiæ Romanæ.

ARTICULUS III. — DE STATUTIS CAPITULORUM.

391. — Omne collegium propriis statutis regitur quibus ad suum finem tendat. Capita Ecclesiarum cathedralium et collegiarum habere proinde debent statuta, quibus cuncta quæ ad statum regimenque suum spectant, item ad choralia signa canonicorum, ad divinorum officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus, aliaque munia obeunda per capituli dignitates, constituantur et determinentur.

Non intendimus in præsentī ea recensere et perpendere quæ esse possunt objectum statutorum, sed præsertim inquirere quæ auctoritate hæc sint determinanda, attento jure communi, et jure speciali Ecclesiarum Galliæ.

Omnes consentiunt recurrendum fore ad S. Pontificem, si aliquid contrarium sit juri communi in statutis condendis; sed quæstio versatur circa auctoritatem Episcopi, et circa jus ipsius capituli. Itaque:

* 392. — I° *Utrum Episcopus valeat condere decreta quæ disciplinam a capitulo servandam statuunt?*

Episcopus potest, jure proprio, condere decreta quibus provideat statui capituli Ecclesiæ seu cathedralis, seu collegiatae, ut nempe capitulum fideliter servet leges communes, ac finem ab Ecclesia intentum certius assequatur.

In decursu expendendum veniet utrum Episcopus, antequam has ordinationes edicat, debeat requirere consilium capituli; in præsentī sufficiat jus ipsum stabilire, quod Episcopo assertum dicimus, condendi decreta, dummodo nihil cæteroquin statuatur contrarium disciplinæ communi, probatisque consuetudinibus.

Prob. 1° *Ex principio generali.* Episcopus habet potestatem

legislativam, quæ in omnes personas, atque in omnia etiam instituta suæ diocesis extenditur, salvo privilegio ac exemptionibus, si quæ fuerint concessa: atqui canonici, sive singuli considerentur, sive quatenus collegium efficiunt, huic auctoritati subduntur, nec est regula juris communis, ullumve privilegium generale, quo ab illa auctoritate eximantur; ergo non est cur Episcopus non valeat mandata seu leges condere quæ vim habeant obligandi tum canonicos qua tales, tum ipsummet capitulum, modo intra limites juris communis se sistat, nullumque detrimentum inferat legitimis juribus capitulorum.

Prob. 2° *Auctoritate Congregationum Romanarum.* Multis subortis dubiis ex parte capitulorum contra decreta episcopalia quibus Episcopi præscripserant canonicis ut sibi pontificalia exercentibus assisterent, ut partem divini officii cantando persolverent, ut vacationes jure concessas disponerent modo quo divini cultus dignitati non detraberetur plurium simul absentia, ut tempore vacationum e diocesi non egrederentur nisi petita licentia, aliaque innumera puncta ad bonum disciplinæ conducentia, Congregationes Romanæ responderunt obtemperandum esse decretis episcopalibus. Nullum hac in re canonistam aliter opinantem reperias. Ergo certum est jus Episcopi: potest utique edicere decreta quibus capitulum ad normam juris communis regatur, ac simul serventur probatæ consuetudines locorum, et privilegia quæ capitulum diuturna præscriptione obtinuerit.

Quod si tamen reperiatur capitulum exemptum ab episcopali jurisdictione Ordinarii, aliter dicendum erit, modo exemptio probetur. In Galliis unum solum est capitulum quod tali exemptione potiatur, scilicet capitulum insignis collegiatae Sancti Dionysii, quod nuper fuit canonice erectum litteris apostolicis 51 martii 1857.

* 395. — II° *Utrum capitulum jus habeat sua statuta condendi, et quæ sit vis horum statutorum?*

I. Capitulum, jure communi, potest facere statuta, quibus suo interno regimini provideat, modo nihil determinare

præsumat contrarium juri communi, et regulis ab Episcopo præscriptis.

Prob. 1^o *Auctoritate canonistarum*, quos in eo consentientes reperimus. « Capitula, ait Pignatelli, possunt aliqua decernere circa ea quæ pertinent ad capitulum, ut docent communiter doctores; quia capitulum seorsum ab Episcopo est quoddam corpus, et ideo potest habere proprium motivum quo se dirigit, secundum propriam exigentiam. » Tom. X, consult. 138, n^o 16. — Reiffenstuel: « Potest capitulum condere aliqua statuta de his quæ tangunt particularia ipsius capituli negotia, aut proprios capitulares concernunt circa rectam ordinationem Ecclesiæ seu capituli... Talia statuta ex causis rationalibus potest facere capitulum; et, concurrentibus cæteris requisitis conditionibus, sunt valida, absque alio expresso consensu Episcopi. » In tit. DE CONSTITUTIONIBUS, tit. II, lib. I, n^o 87. « Les chapitres ont droit de faire des statuts, ait Ducasse; c'est un point dont les canonistes conviennent. » *Traité des droits des chapitres*. Barbosa, *de Canonicis*, cap. XLII, n^o 16. Ferraris, v^o *Capitulum*, art. III, n^{is} 1, 2, 75.

Prob. 2^o *Auctoritate tribunalis Rotæ*. Per plures sunt decisiones Rotæ in quibus supponitur, vel etiam disertis verbis asseritur capitulis potestas condendi statuta. Dubium oriri potest de sensu quarundam decisionum circa naturam ac vim obligatoriam horum statutorum, ut mox dicetur, non enim eodem prorsus modo res indicatur in variis decisionibus: quod autem ad ipsam potestatem refertur, est extra omne dubium; nam apud Rotam Romanam *explorati juris est capitulum posse statuere super his quæ ad ipsum pertinent*, ut dicitur in decisione 707, 30 oct. 1585⁴. Hoc item supposuit concilium Romanum celebratum sub Benedicto XIII, an. 1725, dum præscripsit ac mandavit « Ecclesiarum capitulis... ut antiqua si habent statuta depromant; et ubi non adsint... omnino confi-

⁴ Cf. S. Rotæ DECISIONES RECENTIORES IN COMPENDIUM REDACTÆ, tom. I, v^o *Capitulum quoad statuta*.

« ciant et utraque, antiqua scilicet et nova, suos respective per Episcopos accurate examinanda et corrigenda deducant, atque approbanda præsentent. » (Tit. II, cap. IV.)

Prob. 3^o *Ratione deducta ex principiis juris* quoad Universitates, seu collegia. Capitulum est corpus morale legitime constitutum; atqui omnis communitas rite erecta habet, jure communi, facultatem sibimet providendi per statuta quorum ope feliciter regatur atque suum proprium finem attingat. Igitur omnia quæ sunt regiminis interni, quæ ad ordinationem chori, quæ ad obventionum quotidianarum distributionem, quæ ad cætus capitularis convocationem modumque deliberandi, quæ ad suæ mensæ bonorum administrationem, hæc, inquam, capitulum ordinare valet per sua statuta.

394. — II. Quæ sit conditio horum statutorum: utrum haberi debeant veluti leges, quæ proinde stabili jure permanent et successores canonicorum obligent; an dicendæ sint meræ ordinationes de quibus canonici inter se consentiunt, non constat.

Plures existimant capitulum habere, in iis quæ suum statum respiciunt, veram jurisdictionem, potestatem nimirum legislativam; quamobrem vim legis tribuunt statutis a capitulo conditis. Alii arbitrantur hanc jurisdictionem capitulo non competere; unde concludunt statuta non alio titulo obligare, quam vi conventionis cui omnes subscribunt observandi ea quæ a majore parte fuerint regulariter constituta; et, quoad successores, vi promissionis, vel etiam forte juramenti quo spondent se statuta servaturos, dum admittuntur in collegium.

Utrinque afferuntur declarationes Rotæ et S. Congregationis Concilii; nihil vero prorsus peremptorium allegatur ab alterutra parte, quia nulla unquam prodiit ea de re definitio quæ controversiam auctoritative dirimat. Asseritur in quibusdam relationibus decisionum Rotæ, potestatem legislativam remanere penes capitulum super suis rebus et negotiis; hanc jurisdictionem SS. Pontifices capitulis concessisse; sed assertio datur more

theologorum, non ut certa definitio Rotæ. Alias Sancta Congregatio Concilii, dubio proposito circa potestatem capituli in statuendo pœnas contra infractiones statuti, censuit capitulum posse adjicere suis statutis pœnas quasi conventionaliter, ex his scilicet quæ pacto privatorum promitti ac in conventionem adduci possunt, sed canonicos successores non affici hujusmodi statutis, nisi fuerint ab Episcopo confirmata. Fagnan, qui hanc declarationem refert tom. I, DE CONSTITUTIONIBUS, in cap. *Cum omnes*, n° 43, animadvertit statutum pœnale a capitulo conditum non valere tanquam legem, « quia capitulum jurisdictione caret, et « facultas imponendi pœnam a jurisdictione procedit. » (N° 58, loc. cit.)

Hæc cum ita sint, cum scilicet nullus afferatur textus juris quo SS. Pontifices concesserint capitulis potestatem legislativam; nec aliunde probetur hanc potestatem ipsis obvenisse vi consuetudinis universalis; concludimus rem esse valde dubiam, et potius præsumendum capitula non habere potestatem legislativam, sede plena, ne in iis quidem quæ sunt sui regiminis. Dicemus proinde cum Andreucci: « Capitulum potest cum dependentia ab Episcopo, tanquam a suo superiore, minora quædam quæ pertinent ad bonum ordinem et regimen capituli, « statuere etiam sine expresso consensu ac confirmatione Episcopi; eaque statuta non erunt in rigore leges, sed ordinationes « quædam sub aliqua fidelitate obligantes. » (*De tuenda pace et concordia inter Episcopum et Capitulum*, n° 158. — Cf. Suarez, *de Legibus*, lib. IV, cap. VI, n°s 11-15.)

395*. — III° *Quid juris concessum sit Episcopis Galliarum, relative ad statuta capitularia?*

I. In concordato, art. XI, admissum fuit Episcopus posse unum capitulum in cathedrali Ecclesia habere. Pius VII igitur dedit, per Bullam *qui Christi Domini*, Cardinali Caprara, Legato a latere, amplissimas facultates ad procurandum erectionem capitulorum, probandum illorum statuta, concedendum dignitatibus et canonicis insignia choralia quæ illis conve-

nire judicaverit, cum potestate easdem facultates subdelegandi.

Cardinalis, vi hujusce constitutionis apostolicæ, concessit Archiepiscopis et Episcopis primo futuris, ut post consecutum regimen suæ Ecclesiæ, capitulum ipsi erigere possent, juxta formam sacris conciliis præscriptam, et adjecit: « Iisdem « Episcopis curæ erit ut quæ pertinent ad capitulorum erigen- « dorum prosperum et felicem statum, regimen, gubernium, « directionem, divinorum officiorum celebrationem, caer- « monias ac ritus in iisdem ecclesiis earumque choro servandos, « ac alia quælibet per eorumdem capitulorum dignitates et « canonicos obeunda munia, pro eorumdem Episcoporum ar- « bitrio et prudentia definiantur et constituentur; relicta tamen « eorum successoribus statutorum illorum respectivorum im- « mutandorum facultate, requisito prius capitulorum consilio, « si, attentis circumstantiis, id utile et opportunum judicave- « rint. In ipsis autem statutis vel condendis, vel immutan- « dis, religiosa sacrorum canonum observantia retineatur, « usumque ac consuetudinum laudabilium antea vigentium, « præsentibusque circumstantiis accommodatarum, ratio ha- « beat. »

Eadem summarie commissa sunt Episcopis per Bullam *Paternæ pietatis* datam 6 oct. anno 1822, pro novarum sedium episcopalium constitutione ac capitulorum erectione; in qua tamen, quod est notatu dignum, nulla fit mentio facultatis relicte successoribus immutandi statuta quæ primi Episcopi condiderint.

396. — II. Hinc orta sunt nonnulla dubia; quæsitum enim fuit præsertim: 1° Utrum subdelegatio data fuerit a Card. Legato omnibus in futurum successoribus Episcoporum, aut tantummodo primo futuris? 2° Quid sentiendum sit de statutis capitulorum a tempore concordati conditorum, quæ minus conformia videntur regulis juris canonici?

I. Circa extensionem subdelegationis non una est omnium sententia. Hucusque communius existimatum est delegationem

datam fuisse, non solum primis, sed etiam futuris successoribus Episcoporum qui tunc temporis instituebantur; quod deduxerunt ex sensu obvio verborum, ex interpretatione data ab initio et per decursum temporum, et ex fine quem Card. Legatus intendebat.

1° Verba decreti : *relicta eorum successoribus facultate statutorum immutandorum*, si sensu obvio sumantur, non aliam habent significationem; juxta enim consuetum usum loquendi, omnes qui successive sedem Episcopi primo instituti occupant, æquo jure nuncupantur illius successores.

2° Id persuasum habuere ab initio et per decursum temporum Antistites Galliarum. Alii in ipsismet statutis prima origine datis reservaverunt suis in futurum successoribus jus illa immutandi, ipsomet Cardinali Legato non abnuente⁴; alii plures hoc jure indubitanter usi sunt in pluribus diocesisibus. Unum præ aliis citabimus DD. Sibour, Episcopum Diniensem, qui nova statuta confecit et promulgavit cum obtenta approbatione apostolica, an. 1845. Non aliter judicaverunt concilia plura recens in Galliis habita, imprimis concilia provinciæ Parisiensis, Remensis et Turonensis, quod ex illorum decretis patet. « Cum... Episcopis Indultum diei nonæ aprilis, anni 1802, aiunt Patres Conc. Parisiensis, concedat facultatem pro suo arbitrio et prudentia definiendi et constituendi quæ pertinent ad capitulorum felicem statum, regimen, gubernium, directionem, divinorum officiorum celebrationem ac alia quælibet per capitulorum dignitates et canonicos obeunda munia, jure ac merito hactenus censuerunt Antistites quædam in divinorum officiorum celebratione imminuenda et restringenda esse. Eadem ratione quæ ad capitula spectant temperare et

⁴ Art. xiii statutorum capituli Suessionensis quæ fuerunt approbata a Card. Caprara, sic se habet : « Nous nous réservons et à nos successeurs, d'expliquer et d'interpréter tout ce qui est déjà statué par les articles ci-dessus; et d'ajouter ou retrancher ainsi qu'il sera jugé plus utile pour le bien de l'Église et l'avantage du chapitre. »

« accommodare pergant Episcopi, prout ipsis pro tempore videbitur. » (Tit. I, cap. VII.) Concilium provinciæ Remensis : « Cum promulgata fuerint hujus concilii decreta, *Episcopus quisque sui capituli statuta*, regulis supra expositis, juxta normam sacris canonibus præscriptam, *accommodabit, requisito prius ejusdem capituli consilio*, ut fert rescriptum a Card. Caprara, Legato a latere, die nona aprilis an. 1802 datum; servatis capitulorum cathedralium juribus, secundum posteriora Apostolicæ Sedis acta. » (Tit. XIV, cap. III.) Concilium item Turonensis provinciæ declaravit observanda esse statuta hodierna capitulorum « quoadusque Sancta Sedes aliter statuerit, vel *Episcopus virtute decreti præcitati* (Card. Caprara) *ea aut proprio motu*, aut prævio concilii provincialis judicio, perspecta opportunitate, *requisito prius capituli consilio, immutaverit.* » (Decret. v.)

3° Cardinalis Legatus facultates subdelegando, prospiciebat futuris temporum necessitatibus; facile enim erat conjicere, in hac tempestate, quod novæ advenirent rerum vicissitudines quæ aliquam immutationem aut additionem expostularent in statutis tunc condendis. Porro ut necessitatibus futuris provideret, debuit subdelegare non solum Episcopos prima vice institutos, sed in futurum successores; unde finis intentus a Cardinali plene consensus sensui obvio verborum et communissimæ nostrorum Antistitum interpretationi. Eodem sensu scripsisse videtur Em. Cardinalem qui haud ita pridem ex officio sibi commisso litteras ad Episcopum dirigebat hæc continentes : « ... Cuique decretum illud (Card. Legati) legenti satis exploratum perspectumque est Archiepiscopis et Episcopis datam fuisse quidem potestatem id circa divinorum officiorum celebrationem statuendi quod iidem utile et opportunum judicassent in acerbissimis illius temporis circumstantiis; sed memoratus Cardinalis tempora meliora tandem obventura confidens *expresse cavit ut salva maneret eorumdem Archiepiscoporum et Episcoporum successoribus statutorum immutan-*

« *dorum facultas*, et religiosa sacrarum legum observantia
« retineretur... »

Hæc sane vim magnam habent ad firmandum sententiam quæ communissime admissa fuit. Verum inducitur paucis abhinc annis praxis alia, et jurisprudentia invalescere sensim videtur quæ magis accedat ad jus commune. Dicitur, scilicet, mutatis circumstantiis, non amplius adeo necessarium esse ut Episcopi utantur jure quo a tempore concordati hucusque potiti sunt quoad confectionem et immutationem statutorum; eo magis quod ea de quibus statuere possunt capitula jure communi, non sunt communiter gravioris momenti (nº 394); et si quid sit grave, non firmatur nisi assentiente Episcopo. Hæc fuit probabiliter causa cur in aliis conciliis provincialibus postea habitis, Episcopi dimiserint capitulis curam sua statuta revisendi, et, si opus fuerit, conficiendi, sibi reservato jure ea approbandi. Ita concilia Bardigalense, Senonense, Tolosanum, Auscitanum et demum Aquense, in cujus decreto legitur: « Synodus Aquensis in memoriam revocat responsa
« data a Sancta Sede, ut nimirum nova statuta, si Episcopis
« opportuna visa fuerint, per capitulum conficiantur, et ab
« iisdem Episcopis approbentur. » (Tit. v, cap. II, *de Capitulis cathedralibus*, nº 8.)

Capitulis igitur dimittitur cura sua propria statuta revisendi, et quæ opportuna visa fuerint adjiciendi, dummodo non recedant proprio jure ab his quæ Episcopi constituerant, qui, sicut possunt statuta a suis prædecessoribus condita, vel probata retinere; ita sibi reservant novas additiones, et accidentales mutationes confirmare. Jus præterea inconcussum habent mandata edicendi quibus capitula ad jus commune redigantur, si locus sit, et removeantur abusus qui forte irreps erint quod ipsis abunde sufficit.

397*. — II. In statutis quæ primi Antistites, illorumve successores, a concordato anni 1801, condiderunt, tria sunt præcipue quæ videntur ab antiquis constitutionibus capitulorum

recedere. Scilicet: 1º Capitulum dicitur unum corpus efficere cum Episcopo, et cœtus capitulares haberi non possunt quin convocentur aut permittantur ab ipso Episcopo, qui præsidet per se, aut per vicarium generalem. 2º Duo vicarii generales, ut aiunt *Titulares*, in cathedralibus, tres vero in Metropolitanis, adnumerantur inter canonicos, atque primæ dignitates capituli habentur, titulo Archidiaconorum. 3º Nominatio canonicorum ad Episcopum exclusive pertinet.

Hæc tria majori consideratione digna sunt, tum quia ad primitivam constitutionem capitulorum, imo ad disciplinam et regimen totius Ecclesiæ Galliarum attinent; tum quia unanimi consensu decreta sunt ab Episcopis, inter quos plures erant zelo disciplinæ, amore Ecclesiæ, atque reverentia erga Sedem Apostolicam, spectatissimi; tum demum quia auctoritate sanctæ Ecclesiæ romanæ, approbatione scilicet cardinalis Caprara, Legati *a latere*, ex delegatione S. Pontificis Pii VII agentis, firmata sunt. Extant in archivis plurium sedium Episcopaliū monumenta certa hujus approbationis¹.

¹ Hæc exempli causa citare sufficiat: statuta capituli Suessionensis ab Episcopo Leblanc de Beaulieu condita: « Art. 1º. Le chapitre sera composé de deux dignitaires, savoir: un doyen et un grand archidiaque, et de huit chanoines prébendés. — Art. II. Les deux dignités ne pourront être possédées que par les vicaires généraux du diocèse. ... — Art. V. La libre et pleine collation des dignités et canonicats appartiendra à l'évêque. — Art. XV. Nous nous réservons et à nos successeurs d'expliquer et d'interpréter tout ce qui est déjà statué par les articles ci-dessus, et d'ajouter ou retrancher ainsi qu'il sera jugé plus utile pour le bien de l'Église et l'avantage du chapitre. » — His statutis adjuncta fuit approbatio in forma authentica: Nos J. B. card. Caprara, approbamus. Datum Parisiis ex sedibus nostræ residentie. Die 27 nov. 1805. J.-B. CARD. LEGATUS. J. B. SALA Apostolicæ legationis secretarius. — Decretum erectionis capituli Aquensis: « Nous érigeons dans notre Église métropolitaine un chapitre composé de neuf membres et de nos trois vicaires généraux. ... Nous aurons soin d'ordonner et d'établir ce que nous jugerons nécessaire ou utile au bien de notre susdit chapitre. ... Nous nous réservons néanmoins, à nous et à nos successeurs, de changer ou de modifier ces statuts si les circonstances nous le font juger utile et convenable. » Ita fuit approbatum: « Nos J. B. Cardinalis Caprara. Erectionem Capituli Ecclesiæ Aquensis a R^{mo} Archiepiscopo, Vigore presentis

598. — 1° Statuta, quatenus eo tendunt ut capitulum efficiat *unum corpus morale cum Episcopo*, sine cuius assensu nequeat suos conventus habere, videntur novitatem induxisse; tamen si res attentius consideretur, satis consonat primævæ conditioni capitulorum, nec abludivit ab intento Ecclesiæ in ultimis sæculis. Et quidem si ad originem usque instituti regrediamur, capitulum confunditur cum presbyterio Ecclesiæ episcopalis, cuius Episcopus, tit. paterfamilias, dux et caput erat, ad cuius nutum cuncta regebantur communi consilio. — Si ad disciplinam concilii Tridentini respexerimus, apparebit mentem venerabilis synodi fuisse ut capitula non se haberent seorsim ab Episcopo, sed potius ut illi, tanquam membra corporis suo capiti, unirentur et subicerentur, quod manifestatur ex capite *vi de reformat.* Sessionis xxv. Ibi scilicet postquam ea ordinata sunt quæ Episcopus observare debeat in visitatione capitulorum exemptorum, subditur: « Hæc autem omnia in iis Ecclesiis locum non « habeant in quibus Episcopi, aut eorum vicarii ex constitu-
« tionibus, vel privilegiis, aut consuetudinibus, seu quocumque
« alio jure, majorem habent potestatem, auctoritatem ac juris-
« dictionem, quibus S. Synodus derogare non intendit. » Non miramur igitur si post inauditam in sæculis præteritis per-

« decreti factam, Apostolica auctoritate confirmamus; ita tamen ut sit theo-
« logicalis et Pœnitentiariæ Præbendæ nondum institutæ sint, quam primum
« fieri poterit erigantur: Datum Parisiis die 25 octobris 1804. J. B. card.
« legatus. » — J. A. Sala, Apostolicæ legationis secretarius.

Eadem legimus in statutis capituli Montispeulani, cuius membris ad-
junguntur vicarii generales Gubernio accepti, de compositione capituli, de
ipsius dignitatibus iisdem vicariis generalibus attributis, etc., etc., et hæc
statuta eadem ratione quam cætera probantur a Legato sub ea forma: *De
speciali et expressa auctoritate apostolica a SS. D. N. Pio nobis benigne
concessa, erectionem capituli cathedralis Eccl. N.... ejusque statuta a
R. Episcopo concinnata, approbamus et confirmamus.* Die 28 Julii 1804.—
J. B. CARD. LEGATUS. — J. A. SALA, Ap. leg. Secret.

Cardinalis non reputabat necessariam hujusmodi approbationem, ut ipse
testatur in Epistola ad cardinalem Cambaceres, die 28 martii 1805; unde
plures Episcopi minus solliciti fuerunt de illa obtinenda, existimantes
se sufficienti potestate munitos vi indultorum; sed minime abnuvit statuta
sensu supra indicato approbare, quoties se dedit occasio.

turbationem, quum de novo instaurarentur Ecclesiæ nostræ, Episcopi vincula amplius stringere studuerint cum suis capitulis, ut in novis rerum adjunctis tollerentur occasiones conflictuum, atque major esset unio inter Episcopos et canonicos, ad libertatem Ecclesiæ fortius et securius propugnandam. Nec vicissim miramur quod hæc disciplina probata fuerit nomine S. Sedis a cardinali Legato, utpote deducta ex principiis juris ecclesiastici, et circumstantiis temporum accommodata.

De jure convocandi cœtum capitularem, quod Episcopo reservatur, dicemus infra (n° 420) ubi videbitur jus commune suffragari nostrarum Ecclesiarum disciplinæ, nedum contradicat.

2° Alia dispositio statutorum capitulorum, vicarios generales constituit *membra capituli, primasque illius dignitates*. Notatu dignum est omnia concilia provincialia, habita annis quinquaginta circiter a concordato Pii VII, unanimiter declarasse vicarios generales *titulares*, haberi in nostris Ecclesiis, nomine Archidiaconorum, pro primis dignitatibus Ecclesiarum cathedralium et Metropolitanarum. Hanc disciplinam in Galliis viguisse ac etiam nunc vigere, anno 1849, testabatur concilium provinciæ Remensis: « Vicarii generales qui munus exercent
« Archidiaconorum, quorum nomine insigniti sunt, apud nos
« habentur ut primæ dignitates cathedralis Ecclesiæ. Ipsi in
« choro et extra, post Episcopum immediate veniunt, sicut
« mos apud Galliarum Ecclesias, a concordato anni 1801, uni-
« verse invaluit. Non sunt titulo canonici, nec fruuntur cano-
« nicorum juribus, neque ipsis incumbunt canonicorum munia,
« nisi desumpti fuerint e capitulo, suumque canonicatum reti-
« nuerint. » (Tit. xiv, cap. 1.) Ita iisdem fere verbis concilia Burdigalense et Claramontense provinciæ Bituricensis. — Cætera concilia ulterius progrediuntur, vel enim implicite admittunt, vel expresse docent res in eodem statu permanere quo fuerunt institutæ tempore concordati, vicarios proinde generales reputandos esse inter membra capituli. Sic concilia

Avenionense. In eadem. « Capitulum institutio, aiunt Patres
 « concilii Aven. n. n. s. in presenti existens, licet antiquior,
 « in multis dissimilis, eadem tamen est in essentia. Concilii
 « Patres pro certo habent institutionem hanc prorsus cano-
 « nicam esse, et illius statuta, utpote ab Episcopis probata, vi
 « auctoritatis apostolicæ, fideliter esse servanda. » Tit. vi,
 cap. iv, *de Capitulis.*

Neminem latet dignitates Ecclesiarum cathedralium, sive
 intra capitulum, sive extra, se exerant, affixas esse jure
 communi officiis perpetuis. Sed nihil obstat quominus, assen-
 tente Sancta Sede, vel prævalente diuturna consuetudine, hæc
 disciplina aliqualem exceptionem admittat, ob bonum Ecclesiæ.
 Cardinalis Legatus amplissimas facultates subdelegaverat Epi-
 scopis ad erectionem suorum respective capitulorum, ea condi-
 tione ut canonum simul et temporum rationem haberent.
 Episcopi persuasum habuere opportunum maxime fore, tem-
 poribus accommodatum, et sin litteræ, saltem menti canonum
 consentiens, si vicarii generales capitulo adsciscerentur uti
 primæ dignitates. Existimaverunt provisum exinde dignitati
 vicariorum et capitulorum, felicique concordie instaurandæ
 inter Episcopum et capitulum. Capitulum nobilitatur adjunc-
 tione vicariorum; ipsis vicariis non parum dignitatis accrescit
 ex parte quam habent in cæteris capitularibus; demum remo-
 vetur periculum veterum simultatum, via paratur conciliationi,
 siquidem vicarii partes simul tenent ac jura fovent tum Epi-
 scopi quem repræsentant, tum capituli cui incorporantur. Res
 sic componendo, antiquam dignitatem Archidiaconorum cum
 officio et conditione vicariorum unitam restituerunt, hoc pacto
 ut Præbenda Ecclesiæ cathedralis, pensio scilicet a Gubernio
 attributa tribueretur vicario cum dignitate archidiaconatus,
 ab illo possidenda quamdiu munus suum servaret.

Eandem disciplinam approbavit, atque auctoritate aposto-
 lica confirmavit Cardinalis Caprara, cum statutis capitularibus
 quæ ipsi submissa sunt. Legitimus igitur fuit, gravemque ob

causam impetus, ut non quilibet accedens ad pleris que diœ-
 cesibus Episcopi servaverunt. Quis enim dixerit disciplinam de
 qua agitur constitui non potuisse, in materia quæ tota est juris
 positivi? Aut quis asserere præsumat rerum ordinem, qui
 initium duxit a statutis auctoritate apostolica communitis, cor-
 roboratum non fuisse consuetudine sexaginta fere annorum?

Quoad diversitatem quam supra notavimus inter concilia
 provincialia, quorum alia vicarios generales admittunt intra
 capitula, uti illorum membra, dum alia dicunt illos reponi
 extra capitulum, insignitos cæteroquin nomine archidiaconorum
 et muniis primarum dignitatum in choro, libertas singulis datur
 servandi suæ diœcesis consuetudines. Hæc tamen nobis videntur
 notanda: 1° Prima institutio, probata a Legato apostolico et
 diuturna consuetudine roborata, constituit vicarios generales
 membra capituli. 2° Eadem institutio magis consentanea est
 menti statutorum, quæ fuit fovère unitatem inter Episcopum
 et capitulum. 3° Non minus alienum est a jure communi quod
 vicarii generales constituantur primæ dignitates cathedralium
 extra capitula, quam statuere ut duæ præbendæ canonicæ
 cum dignitate Archidiaconali unitæ, conferantur vicariis pro
 tempore quo funguntur officio.

3° De nominatione ad canonicatus et dignitates dictum est
 sufficienter in præcedentibus (n° 389).

An immutare expediat statum capitulorum, nostrum non est
 expendere. Satiis multis videtur aliquid immutandum ex statutis
 primitivis ut magis provideatur dignitati capitulorum, majori-
 que libertate potiantur in iis quæ ad suum regimen suaque pro-
 pria negotia attinent. Horum judices non sumus: unum tan-
 tummodo contendimus, disciplinam Ecclesiarum Galliæ fuisse
 inductam ob gravissimas causas, suum habere fundamentum in
 jure et in confirmatione apostolica, tandem longa consuetudine
 confirmatam. Quæ cum ita sint, prudentia suadet ut caute pro-
 cedatur, si de illa immutanda quæstio moveatur, et concilium
 Turonensis provinciæ merito statuere potuit: « Quamvis ho-

« dierna capitulorum constitutio non sit juri antiquo omnino
 « conformis, eorum nihilominus statuta ipsis virtute auctoritatis
 « apostolicæ per cardinalem subdelegatæ ab Episcopis data,
 « nec non ab eodem cardinali legato sufficienter approbata, et
 « aliunde per diuturni temporis usum confirmata, observanda
 « esse declaramus, quoadusque Sancta Sedes aliter statuerit. »
 Decret. V, *de Capitulis*.

ARTICULUS IV. — DE OBLIGATIONIBUS CAPITULORUM ET
 CANONICORUM.

399. — I^o *Quæ sint obligationes capitulorum cathedralium?*

Obligationes capituli cathedralis oriuntur ex multiplici fine ad quem institutum fuit:

1^o Ratione officii choralis, tenetur providere celebrationi quotidianæ divinorum officiorum, et missæ conventualis. Hæc obligatio specialius incumbit dignitatibus capituli, quarum munus est procurare observantiam disciplinæ: at si dignitates negligenter sua obeant munia, obligatio omnes in solidum urget; adeo ut quisque teneatur, quantum in se est, prospicere bono communi, exemplum ipse exhibendo, et promovendo in comitiis capitularibus reformationem abusuum.

2^o Debet honorem Episcopo deferre; primam sedem in choro, et in conventu capitulari eidem reservare, atque pontificalia exercenti adistere. Concilium Tridentinum statuit: « Episcopis ubique is honor tribuatur qui eorum dignitati par est; « eisque in choro et in capitulo, in processionibus, et aliis « actibus publicis, sit prima sedes, et locus quem ipsi elegerint... Canonici compellantur... Episcopo celebranti aut alia « pontificalia exercenti adistere et inservire. » (Sess. xxv, cap. vi; sess. xxiv, cap. xii, *de Reform.*)

Ex decretis concilii et ex variis decisionibus S. Congregationis Rituum, sequitur 1^o non titulo urbanitatis, sed ex officio, capitulum teneri ad adsistendum Episcopo illumque euntem et redeuntem, pro divinis officiis, associandum; 2^o obligationem urgere, non tantum quando Episcopus pontificaliter celebrat, sed etiam quando alias functiones pontificales exercet, puta, si Ecclesiam consecret; si sacros ordines conferat, etiam privatim, quo casu tamen non omne capitulum, sed duo aut tres solum canonici assistere tenentur; si conficiat sanctum chrisma; si solemnem concionem habeat; 3^o capitulum teneri adsistere Episcopo, etiam extra Ecclesiam cathedrallem, in aliis Ecclesiis urbis et suburbaniorum, eo tamen cum moderamine ut ob absentiam plurium canonicorum non perturbetur officium chorale; 4^o demum teneri accedere ad Episcopum quando in Ecclesiam venit rei sacræ peragendæ causa, illumque cappa indutum e sua camera, seu ex aula quam designaverit progredientem, comitari et deducere usque ad portam primariam Ecclesiæ. Si tamen domus episcopalis non sit sacris ædibus contigua, sed certis spatiis distet, sufficit ut canonici Episcopum deducant e loco prope Ecclesiam sito, vel ab exterioribus atriis. Qui autem ritus in susceptione Episcopi servantur, prout venit solemniter cum cappa, aut privatim rochetto et mozetta indutus accedit ad assistendum divinis officiis, quoniam ordine omnes procedant in eundo et redeundo, explicatur in *Cæremionali Episcoporum*; lib. I, cap. xv.

3^o Capitulum tenetur auxiliari Episcopo in regimine diocesis, atque eidem diocesi providere sede vacante, sicut alibi explicatum est: unde sequitur canonicos debere in cætum convenire quando Episcopus illos convocat, et negotiis quæ illis commiserit ad bonum administrationis diocesanæ curam impendere.

400. — II^o *Quæ sint obligationes canonicorum?*

Canonicorum præbendatorum obligationes sunt: 1^a emittere professionem fidei; 2^a residere in urbe episcopali; 3^a assistere